

De delirio tremante : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendet auctor Joannes Berendes ; opponentibus Th. Riemann, F. Steingroewer, C. Kretzschmar.

Contributors

Berendes, Johann, 1820-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typis Nietackianis, [1843]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r6t6rr58>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
DELIRIO TREMENTE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE V. M. AUGUSTI A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES BERENDES

SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

TH. RIEMANN, med. et chirurg. Dr.

F. STEINGROEWER, med. et chirurg. Cand.

C. KRETZSCHMAR, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.



RECURRING TREATMENT

OF THE

CONSTITUTIONAL AFFECTIONS

OF THE

RESPIRATORY SYSTEM

AND

OF THE

SYSTEM OF CIRCULATION

AND

OF THE

SYSTEM OF NUTRITION

AND

OF THE

SYSTEM OF EXCRETION

AND

OF THE

SYSTEM OF REPRODUCTION

AND

OF THE

SYSTEM OF SENSATION

AND

OF THE

SYSTEM OF MOTION

V I R O

DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

AUGUSTO VARGES,

ASSESSORI MEDICINALI, MEDICO PRACTICO APUD PARTHENO-
POLITANOS ETC. ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DEFINITIO ET AETIOLOGIA.

Delirium tremens, quae est ejus natura, hominem tum maxime capere atque corripere solet, quum per longius temporis spatium spirituosus continuo ultraque modum abusus sit; maxime tunc in eo apparent cerebri perturbationes, nervorumque actiones non ex ordine fiunt, quod quidem maxime conspicitur insomnia, deliriis et sensuum erroribus plane miris, saepe articulorum tremore, atque tum systema vasculosum affectum est, tum vero non est affectum; febris adesse potest, aut adesse. Omnino hic morbus summa ad collapsum proclivitate praecellit et tantum critico somno tolli potest.

Abusu igitur spirituosorum genitum, tamen, ut haec inter se differunt, ita etiam delirium tremens diverso modo excitatur. Primo loco ponendus est spiritus e solano tuberoso paratus, atque ubi eo praesertim plebs vescitur, ibi morbus noster non tam raro invenitur. Qua de causa videmus in septentrionalibus patriae nostrae regionibus saepius eum apparere, maxime in urbibus maritimis, ubi is populi ordo, qui summis corporis viribus quaestum pa-

rat, et in iis praeter ceteros nautici solo spiritus usu laborum onera levanda esse, facile sibi persuadent.

Atque quum nostra aetate spirituosus, qua sunt pretii vilitate, inter humillimos quosque pervulgata sint, inde factum est, ut ille morbus magis magisque dilataretur suumque imperium longius propagaret. Quamquam hoc vitium ne latius irrepat in societatem humanam, hodie conjuncti temperantiae amici omnibus viribus impedire conantur.

Et etiam aliis spirituosus gignitur morbus, ut vino, spiritu e sacchari reliquiis tracto et opio supra modum capto, sed hoc jam rarius invenitur. Levis delirii tremoris impetus, nec unquam omnibus symptomatibus absolutus, oriri solet ex cerevisiae, maxime fortis usu, per longius tempus immodice continuato. Potest vero unusquisque hoc morbo affici, qui totum se intemperantiae vitio dedit, indeque dispositionem morbi sibi parat. Sexus muliebris minus ei obnoxius est, quod minus ebrietati indulget; item quo minus quisque societatis humanae ordo intemperantiae deditus est, eo minus delirio corripitur tentaturque solet.

Dum igitur immodice potando dispositio ad delirium tremens sensim augetur, aliquis novus excessus in baccho causa occasionalis est et efficit, ut morbus erumpat. Sed etiam crebrius fieri solet, ut aliae causae existant, quae efficiunt, ut delirium erumpat, praesertim iracundia, timor, metus, ira et quae sunt id genus alia. Praeterea quivis morbus, in quem potator delapsus est, adeo etiamsi per longius tempus abstinuit a spirituosus, causa esse potest, ut delirium erumpat, atque hoc tum maxime, quum soli-

tam intemperantiam temperantia commutaverit atque primis abstinenciae diebus momenta, quae supra dixi, ad propriam morbi causam etiam accesserint.

NOSOGRAPHIA.

Stadium primum. Delirium tremens varios habet prodromos, qui raro tantum vel nunquam fallunt medicum gnarum, saepius tamen ab aegroto negliguntur. Solent fere duobus usque ad octo vel novem dies post commissionem aliquam continuam, vel post aliquem excessum in baccho cerni, atque ipsius morbi eruptioni tum intra dies, tum intra hebdomades complures antecedere; sunt vero haec: fastidium ciborum, oppletio in praecordiis, creber ructus, immodicus sudor post minimum laborem, interdum alvi obstructio, nonnunquam diarrhoea, molestia et morositas, anxietas in praecordiis, tremor linguae, quae oblecta et humida est. Plerumque jam nunc peculiaris ille manuum tremor accedit, interdum vero etiam stadio secundo. Aegrotus plane languidus, abjectus atque tristis est, frequenti gemitu praemittitur et animi tumultu, plane insomnis est, vel brevi tantum saepiusque interpellato fruitur somno.

Stadium secundum. Manifesti morbi praecipua signa vel symptomata haec sunt: insomnia, delirium et singulares quidam sensuum errores. Initium facit festinatio quaedam anxia, major aucta nervorum reactio cum magna musculorum irritatione. Vultus et habitus aegroti produnt animi quendam tumultum, quem quum dedita opera ipsisque sermonibus tegere conatur, eo ma-

gis perito detegit. Omnino nunc loquacitatem quandam et industriam ostendit, saepius lodiculam vellicat et jam incipit mente delira loqui. Plerique aegroti, quo magis morbus accessit, tanto laetiores, jocosiores atque facetiores omnino se praestant. Qui mixtus anxietatis, industriae, metus et leporis prorsus proprius est hujus morbi naturae. Usu venit vero etiam, ut in mente aegroti unus tantum aliquis affectus excellat; eadem cogitationum series et quasi filum per complures dies deducitur, neque interrumpi solet nisi externis causis, interruptumque statim post eundem in modum annectitur, ut discerptum erat. Sensuum errores summam diversitatem habere possunt; plerumque tamen ad visum pertinent, solentque aegroto animalia ante oculos versari atque, quod mirum, minora illa, ut glires, mures, aves, muscae, etiam pocula spiritu expleta, nunquam vero elephantes, leones, tigres; fingit sibi res aegrotus, quae prorsus existere non possunt, semper ab horrendis naturis, latronibus et homicidis circumsessum se et invasum opinatur atque perversissimas res venatur, quas depellere semper studet.

Aegre fert solitudinem, qua quidem anxietas ejus augeatur, ut item commorationem in lecto, unde fit, ut nisi ineunte morbo monitu aliorum in lecto non accumbat: quanto magis morbus accrescit, eo crebrius inde surgere conatur, atque si ei repugnatur, facile delirium in furorem se convertit. Exacerbationes sub vespere fieri solent. Febris raro deest, in levissimis tantum hujus morbi casibus. Pulsus semper fere accelerati, tum parvi et vacui, tum pleni atque subduri.

Sub finem exitus morbi lethalis pulsuum frequentia

ita augeri solet, ut paene numerari nequeant et irregulares fiant. Pupillae plerumque contractae, sed photophobia plerumque non adest. Articulorum tremor constantissimum hujus stadii symptoma est, qui maxime quidem in extremitatibus superioribus cernitur, quamquam inferioribus non plane deest. Hoc tremore potatores plerosque, etiam praeter delirii trementis impetus, praecipue mane affectos esse non ignotum est; inde, si explorare volumus, num quis spirituosus nimis indulgeat, eum nobis manum porrigere jubemus, atque saepius illud symptoma detegimus. Tremor autem in hoc stadio interdum eo usque vehementiae progreditur, ut aegrotus nullam rem tenere, aegreque in loquendo et potando maxillam inferiorem movere valeat. Transpiratio saepissime profusa est, quoque debilior aegroti constitutio corporis, eo copiosior hanc adesse videmus; sudor plerumque frigidus et viscidus odoremque acidum spargere solet, itemque reactio sudoris est acida. Lingua media pituita flava aut viridi oblecta est, quae hic quidem tenue tantum, illic vero sordidum tegumen format; margines linguae tamen semper fere puri sunt. Omnino linguae tegumen respondet morbi magnitudini. Color et vultus aegroti interdum non mutantur, saepius vero multum ruboris praebent, quod quidem ex sanguinis ad caput congestionem effici apparet. Urina, ut idem videmus in aliis morbis febrilibus, initio sparsa atque colore perrubro vel flavo, in posterum vero morbo decrescente copiosior fluit et nubeculam, quae sensim sedimentum formatur, deponit. Alvi excretiones modo normales sunt, modo obstructio adest, modo diarrhoea biliosa.

Stadium tertium. Hoc in stadio morbus aut ad mortem se convertit, quamquam jam prius morbus in sanationem transire potest et quidem non arte solum, sed etiam ipsa natura ac sponte, nec necesse est, morbus hoc stadium invadat.

Sanationi autem semper somnūs bonus, naturalis et sine intermissione antecedere debet, sine quo evenire non potest.

Pulsus tum magis normales et regulares fiunt, articulorum tremor exiguus vel nullus, phantasmata et imaginationes magis magisque cedunt. Sequitur universalis quidam languor et fastidium, sicuti post ebrietatem adesse solet. Transspiratio diminuta est. Lingua plerumque adhuc oblecta, sitis magna, appetitus nullus. Sensim vero etiam hae gastricae evanescunt molestiae et levantur; et aegrotus mox sanatus est.

Ubi morbus exitum capit lethalem, ibi omnia symptomata quae usque eo aderant vehementiora apparent et languor et musculorum irritabilitas adeo augetur, ut aegrotus huc et illuc jactari quodammodo videatur et sudor copiosissimus inde erumpat. Cum morbo progrediente vires magis magisque deficient, frigidus ille et viscidus sudor, qui jam in anteriore stadio ad pedes manusque pertinebat, nunc supra totum corpus diffunditur; pulsus etiam frequentiores, minores, exigui, filiformes, interdum vix numerabiles; manuum tremor crescit, saepe totum corpus arripit eique similior est, qui frigoris vi gignitur quam subsultui tendinum, quem in typho vel horripilationibus ex quibusdam nervorum affectionibus videre licet. Sudor perfrigidus fit et peculiarem quendam fert

odorem; vultus fere pallidus et anxius, pupillae vehementer contractae, lingua crasse obducta, in centro et radice saepe subfusca, in apice marginibusque interdum rubra; aegrotus perpetuo loquitur et magna cum velocitate, deliria crescunt, item irritabilitas. Qui status, quem describere tentavimus, usque ad ipsam mortem perseverat, ubi quies quaedam vel etiam status convulsivus, ei, quem in tetano esse videmus, simillimus accidit, citaque morbum ad finem perducit. Interdum etiam talia symptomata adsunt, quae plane apoplexiae sanguineae vel serosae similia sunt.

MODIFICATIONES.

Sed haec, quae percurrimus, tria morbi stadia non semper ea, quam exposuimus, perspicuitate expressa sunt, sed varie et magnopere mutari possunt, et rebus simul accedentibus et constitutione aegroti. Delirium tremens symptomaticum ab idiopathico maxime eo tantummodo differt, quod illi fere prodromi hujus morbi deesse solent, sed alii morbi antecedunt aut simul adsunt, ad quos delirium tremens per consensum cerebri, quod morbo antegresso affectum irritatumque est, ut symptoma accedit. Itaque quivis morbus, in quem potator delabitur, causa delirii trementis esse potest. Praeter ceteros vero hi reperiuntur: laesiones per vim mechanicam factae, ut fractura, luxatio, contusio, dein febris rheumatica, angina, pneumonia, haemoptysis, hepatitis et similia. Si morbus primarius non vehementior est, et praesertim si organismum non laedit, brevi tempore praeponderatur accedente

delirio tremente et illius symptomata, etiamsi non statim ab initio, sed certe in acme hujus plane desiderantur. Tum demum, quando delirium tremens devictum est, morbus primitivus recrudescit, nisi una cum delirio ablatum est. Ubi vero morbus primarius est vehementior, quam ut delirio tremente reprimi possit, vel uti in praestantissimorum organorum inflammationibus; vel ubi hoc secundum morbi naturam fieri non potest, ut in fracturis et quae sunt id genus, ibi hic morbus ipse, quae est ejus vis ac momentum, satis dignus apparet, ad quem diligentiam maximam convertamus. Delirii tremantis symptomata non mutantur nisi in eo quod ipse morbus primitivus affert; sed quae supra distinximus stadia, hic non aequae accurate discernenda sunt.

Tunc ipsius morbi character ut plerorumque duplex esse potest, cujus rei respectus ad morbum sanandum maximam habet vim. Morbus nempe aut stheniae aut astheniae characterem prae se ferre potest; stheniae vero maxime solet in robustis hominibus, praecipue adolescentibus iisque, qui nondum per longius tempus intemperantiae vitio dediti, viribus corporis etiamnunc satis firmis gaudere. Hinc fit, ut in plerisque primus delirii tremantis impetus sthenicam habeat naturam; sed hoc etiam non ita raro accidit, ut vel qui sequantur impetus eandem indolem exhibeant. Deinde prout spirituosae diversae sunt qualitate, ita secundum hanc modum sthenicum modo asthenicum delirium tremens oritur. Ex vino et cerevisia non plane manifestum fere gignitur, quod in stadio primo persistere solet et plerumque sthenicam naturam prae se fert. Sincera spirituosae e frumento et saccharo tracta

item adjuvant sthenicam morbi naturam, quum omnia haec minus digestionem laedant et systema, quod reproductioni praeest, atque organismo plus energiae relinquant quam vulgaris noster e solano tuberoso spiritus.

Sthenicum autem et asthenicum delirium tremens eadem percurrunt stadia, sed modificantur secundum hanc morbi naturam. Primum sthenici delirii trementis stadium fere leve et breve, hinc saepe neglectum; molestiae gastricae saepe exiguae sunt. Pulsus pleni. Derma non tam copioso sudore contectum est et hoc loco saepius etiam morbus reprimitur. Sed quum secundum stadium intraverit, phantasmata quae supra exposui et imaginationes vehementes se praestant; articulorum tremor exiguus tantum, pulsus jam-pleniores fiunt, malae erubescunt, calido et acide reagente sudore derma obtegatur. Tertio stadio deliria magis magisque furibunda fiunt, aegroti summa vi lectum relinquere laborant, perturbatio et angor animi ad summum evehuntur fastigium, musculorum tremor magis accrescit. — Sanatio licet jam prius incipere possit, fere sub finem stadii tertii intrat et somno sano et continuo affertur. Pulsuum frequentia et dermatis transspiratio decrescunt. — Mors intra acmen apoplexia sanguinea vel serosa adduci potest et saepius convulsiones subsequitur: qui exitus et in vigilando et in profundo somno evenire potest. Si posterius accidit, moribundus jacet respiratione tarda et stertorosa, oculis dimidio apertis et sursum fixis, malis vicissim fervidis et rubris, pulsibus primo plenis tardisque vel etiam suppressis et intermittentibus. Huc accedit lingua valde sordida, tendinum subsultus, involuntariae alvi et urinae excre-

tiones, collapsus virium, donec mors sequitur, quae quidem saepe celerrime subintrat.

Astheniae characterem prae se ferre solet delirium tremens ab ipso initio in senioribus et jam infirmis hominibus, maxime in iis, qui quodammodo potationem ut artem per longum tempus professi sunt. Item omnibus iis rebus, morbo antegressis, quae vires infirmiores reddunt et in potatorem magnam habent vim, ut animi perturbationibus, inopia et angustiis; etiam aliis rebus omnino debilitantibus, ut haemorrhagiis, diarrhoeis profusis, cachexiis et ceteris effici potest, ut delirium tremens asthenicum surgat. Uti jam dixi, maxime huc pertinent spiritus e solano tuberoso parati.

Primum asthenici delirii trementis stadium hac re a sthenico differt, quod aegroti plus angoris produnt, exiguum capitis calorem et magis frigidum ac profusum habent sudorem, tremor jam mox apparet. Secundo stadio magis jam anxii fiunt, tremor articularum augetur. In stadio acmes haec omnia maxime manifesta se praebent; tremor tantus est, ut aegrotus nihil manu tenere valeat.

Sanatio hic quoque solo somno sano et non intermittente efficitur; deliria et sudores profusi sensim evanescunt, reconvalescentia satis tarde progreditur.

Mors nunquam fere per apoplexiam hic accedit, sed semper fere virium consumptione et cerebri paralysi efficitur. Tumultus animi et angor aegroti ad summum gradum perverit, derma frigido et viscido sudore obtectum, extremitates frigidae sunt; pulsus et vires magis magisque evanescunt, deliria furibunda in blanda transeunt, singultus accedunt, excretiones involuntariae — mors.

PROGNOSIS.

Primus morbi impetus in hominibus, spiritus abusu nondum nimis enervatis fere faustum exitum habere solet; idem interdum etiam in his, qui primum sequuntur videmus, quamquam omnino ejus reditus, praesertim ubi cum cerebri erethismo conjuncti sunt, non minimum habent periculum. Deinde id etiam delirium magis periculosum quod opio genitum est quam quod spirituosus. Interdum morbus ipsa natura sanatur. Sthenici delirii trementis prognosis melior quam asthenici; delirii trementis symptomatici prognosis maximam partem pendet ab gravitate morbi primarii, sicuti in casibus complicitis universe a complicationis natura. Complicatio cum fracturis prognosin praecipue dubiam praebet.

DIAGNOSIS.

Morbum nostrum qui semel viderit certe statim recognoscet, nam si omnia morbi signa, singularem habitum vultumque, articulorum et pulsum tremorem, linguam obductam, sudorem profusum, peculiaria illa deliria, insomniam, sanationem, quae celeriter somnum subsequitur, comprehendimus: tam peculiare et singulare quoddam videmus, ut non facile quisquam morbum cum alio commutare possit. Sed tamen fieri possit, ut commutetur cum phrenitide, cum inflammatione cerebri et membranarum ejus, cum deliriis in febribus et cum manifesta mania ac furore. A phrenitide autem eo differt delirium

tremens, quod isti frigidus ille, copiosus et viscidus sudor, pulsus molles, manus et pedes tremantes et humidi desunt.

In delirio tremente autem photophobia, phrenitidi plane propria, omnino deest. Denique illusiones, quae cum delirio tremente conjunctae apparent, prorsus singulari sunt natura et anxium, timidum perpetuumque respectum aegroti ad ea, quibus antea operam maxime dedit, produnt. Agnoscit amicos et interdum aptissime eorum quaestionibus respondet, praeterea nisi contradictione irritatus multo obedientior et facilior est quam qui phrenitide laborat. Secundum Toepken ipsum morbi initium facit molestus quidem a multis perspicue animadversus sub diaphragmatide sensus, qui interdum apud nonnullos usque ad penetrantem et acrem sed non diu perseverantem dolorem augetur. In aliis morbus incipit cum levi epilepsiae vel adeo apoplexiae simili impetu.

Ab eo delirio quod in febribus nonnullis vel in typho videmus, delirium tremens praeter ea si ad morbi decursum respicimus hac ipsa re discerni potest, quod illic in ultimo demum stadio apparet, hic primum et praecipuum symptoma est. Aegrotus delirio tremente laborans citissime sese huc illuc commovet, vivacissimus est et loquax, impatienter fert lecti accubationem; si voluntati ejus ceditur, inquietus trepidat, solita officia et munera explere studet vel operam dat, ut figuras quibus exagitari sibi videtur, depellat; sin vero repugnas ejus studiis ac voluntati, facile furit et saevit. In delirio in febribus autem aegrotus languide projectus est, vultu minus feroci, tranquillior omnino et sedatior, raro conatur

e lecto surgere custodumque diligentiam effugere. Illic plerumque ab initio manuum tremor cernitur et in ultimo stadio aegrotus eas res arripere studet, quas per lectum repere vel ante oculos observari et fluctuare opinatur; hic deest proprius ille et singularis tremor, adsunt vero subsultus tendinum et flocculorum lectio.

A mania diversum est delirium tremens pulsibus mollibus et frequentibus, copioso, frigido proprioque sudore, extremitatum tremore, denique decursu morbi, qui illic chronicum, hic morbum acutum indicat.

Longe difficillima ei, qui minus morbi symptomata perspecta habeat, diagnosis symptomatici delirii trementis fuerit, praesertim si complicatio cum encephalitide acciderit, quod quidem re vera interdum fieri videtur; sed etiam hic, si quis id consideraverit, num aegrotus spiritusosis deditus fuerit, non facile fallitur.

SECTIO.

Sectionibus ad cognitionem hujus morbi factis plerumque negative tantum docemur, saepe etenim in vero delirio tremente nullae alienationes in membranis cerebri conspiciuntur. Structurae alienatio omnibus delirio tremente mortuis communis nondum observata est. Pro duplici caractere, quocum morbus exoriri solet, etiam diversae alienationes in cerebri structura membranarumque ejus inveniuntur.

Si morbus asthenicum habuit characterem, si aegroti constitutio jam vehementer debilitata erat, si minus caloris in capite aderat, si mors virium consumptione effecta

erat: cerebrum ejusque membranas interdum mire sanguine inanes reperimus, saepius vero ectasin vasorum, et praecipue venas cerebri sanguine impletas huic ectasi respondententes, videmus. Nunquam arteriae morbo valde affectae esse videntur, namque non apparet novum rete vasculorum, sicuti in inflammationibus exoriri videmus, nec sunt vasa capillaria sanguine nimis impleta, nec adest exsudatum plasticum. Solos sinus durae matris et venas, sanguinem his mittentes, refertos sanguine cernimus.

Tunica arachnoidea interdum spissior et opaca est, potissimum in basi cerebri, quae alienatio vero etiam in illis invenitur, qui quamquam per multos annos spirituosius dediti, tamen nunquam delirio tremente laboraverunt et morbo alio mortui sunt.

Sin vero delirium sthenicum induerat characterem, si homo, qui illi succubuit, robustus, si symptomata congestionis versus caput manifesta expressa fuerunt: invenimus vasa sanguine nimis repleta et venas et vasa capillaria, tunica arachnoidea recenti vasorum capillarium reti injecta est, item piam matrem magnopere injectam videmus, cerebrum rubefactum est multitudine tenuium adhuc sanguine impletorum vasorum. In ventriculis cerebri, ut item sub tunica arachnoidea saepius aliquid seri invenitur.

Simul cum his alienationibus in cerebro ejusque membranis fere etiam degenerationes aliorum organorum reperiri solent, hepatis maxime et lienis. Hepar vario modo alienatur, saepe turgescit et intumescit, flavo vel fusco induitur colore, aut in pinguem et adiposam degenerationem transit. In stomacho interdum inveniuntur ve-

stigia gastritidis chronicae, et membrana mucosa aut densior aut mollior reddita, aut simul utrumque, Hae vero degenerationes stomachi et hepatis aut secundariae tantum aut subsequutae sunt vitae potatoris consuetudinem atque essentialiter ad delirium tremens non pertinent.

NATURA MORBI.

De natura delirii trementis opiniones valde adhuc differunt, ea de re praecipue, num acuta cerebri inflammatio ejusque membranarum sit nec ne. Sed jam mihi videtur ex symptomatibus quae attuli et tota morbi imagine hoc concludi posse, encephalitidem naturam morbi non esse, quod constanter cum eo non conjuncta est. Secundum morbi symptomata aptissimum mihi videtur, delirii trementis naturam in perturbatione nervorum actionum, cum propriis symptomatibus conjuncta ponere, quae originem trahit, ex abusu spirituosorum per longum tempus continuato, unde sequitur irritatio et excitatio cerebri atque totius nervorum systematis; ubi, si omnia symptomata contuleris et remedia quae ea mitigant, et ad ea, quae sectio ostendit, respexeris, per vim perniciosam secretorum corruptorum, quae in systemate chylopoëtico accumulata sunt, depressio vis vitalis nervorumque multo magis augetur. Quam irritationem cerebri, si etiam res adjuvantes accedunt, in delirio tremente non solum congestio sanguinis ad cerebrum, sed etiam ipsa encephalitis sequi potest. Ipsa natura hujus cerebri irritationis in delirio tremente vere quidem inflammatio non est, quod, si haec esset, encephalitidis signa in cadaveribus nunquam

deessent; quum autem re vera in nonnullis mortuis adsint, perspicui potest, quantam partem in hoc morbo cerebrum habeat.

Broussais ejusque sectatores omnes delirii tremantis casus soli gastritidi vindicant, medicis crimini dantes, quod sine causa morbo novum nomen dederint. Quod vero falsum esse perspicue apparet ex sectionibus, in quibus satis saepe accidit, ut ne vestigium quidem ullum gastritidis inveniatur. Gastritis illa, quam quidem Broussais vidit, nihil aliud esse videtur quam propria illa delirii tremantis vestigia molestiarum gastricarum, quibus tamen cum inflammatione in sensu strictiore nihil est commune.

CURA.

Indicationi prophylacticae satis fieret, si ebrietatis vitium impugnaretur, qua de re societates ad abusum spirituosorum diminuendum initae optime mereri possint, potissimum in iis hominibus, qui jam saepius morbo correpti, tamen denuo siprituosis indulgent. Nam quod quisque doleat, eorum numerus, qui conscientia periculi in quod morbo inciderant, vel monitu medici et amicorum a pristina vivendi ratione depellantur, adhuc plane exiguus est.

Ubi morbus primum exstitit, ut in satis robusto etiam homine, natura saepius ipsa sanitatem affert, tranquillum somnum et non intermittentem adducens. Sed non licet medico hac re confidere.

Praeter usum remediorum pharmaceuticorum et diae-

teticorum etiam apta physica et ethica tractatione opus est atque huc maxime medicus animum advertat; vitet omnem violentiam in domando aegroto, ut vincere manus atque in cella includere. Nam eo tumultuosior fit et illud etiam tantam excitationem efficere potest, ut ex nonnullorum medicorum sententia convulsiones et apoplexia oriri possint.

Plerumque benigna, sed gravi ac seria agendi ratione regi potest. Si familiaribus suis morem non gerit, constituentur ei custodes vel in nosocomium portetur, nam hic saepe multo faciliorem se praestat. Si in lecto manere non vult, permittatur ei huc illuc ire, sed si fieri potest aliquis eum custodiat. Praecipue respiciatur, ne affectu, metu maxime vel terrore commoveri possit, neve ejus somnus causis externis interrumpatur.

Magis vero quam in quavis alia ratione, in therapia duplex morbi character respiciendus est; indeque solum, quod unus vel alter non satis manifeste expressus est et diversissimi existunt transitus ab uno ad alterum, intelligi potest, cur sententiae de sanando delirio tremante tantopere varient.

Si morbus ab initio sthenicum induerat characterem, indicatio est irritationem nervorum sedare, nimiam cerebri et nervorum actionem mitigare, orgasmum sanguinis placare et congestiones a cerebro avertere atque depellere. Quem ad finem apparatus antiphlogisticum adhibemus, diligenter habita ratione naturae specialis cujusque casus et nunquam nimis, quod ita facile per metaschematismum morbus asthenicum characterem induere potest.

Venaesectiones instituendae semper maximam diligen-

tiam et circumspectionem requirunt, et in stadio prodromorum tum solum admitti debent, si homo juvenilis atque plethoricus est, si pulsus pleni ac fortes, si symptomata cerebri irritationis manifeste expressa sunt; atque etiam tum quantitas sanguinis mittendi modica tantum sit: nam transitus ad collapsum inde facillime evenire potest. Vel locales adhibendae sanguinis missiones per cucurbitas cruentas vel hirudines ad tempora, infra aures et in cervice positas, summam praecautioem requirunt. Tum solummodo, quando congestiones ad caput nimiae sunt, caput ac malae urentes, tinnitus et susurrus cum fortibus ac plenis pulsibus adsunt, complures hirudines ad caput ponantur.

Salia media ibi usurpentur, ubi morbus etiam nunc in stadio prodromorum est, et ubi pertinax alvi obstructio et lingua obsecta invenitur. Sin vero morbus jam plane manifestus est, salia media, quum organismum debilitent, magno detrimento esse possunt. Acida, praecipue Acidum sulphuricum, in hoc stadio omnino adhibenda sunt, quod sudorem profusum frenant atque orgasmum vasorum mitigant. Etiam medicamenta nauseosa in delirio tremente sthenico magnam utilitatem offerunt. Barkhausen praeter cetera Tartarum emeticum commendat; vim ejus salutarem paene specificam nominat, et Tart. stib. tali dosi adhibitum, ut nauseam efficiat, vim remedii cathartici, placantis et ob hanc rem indirecte munus remedii antiphlogistici complecti putat, tali quidem modo, ut nimiam nervorum atque vasorum actionem remittat et sanguinis ad cerebrum congestio per antagonismum tollatur, ne ullo

quidem modo detrimentis timendis, quae venaesectionem aut opium sequantur.

Si signa cruditatum viarum primarum adsunt, Barkhausen Tartarum stibiatum tali dosi, ut vomitus efficiatur, exhibet, praeterea solutionem gr. quinque in unc. V. Aq. destill., cujus cochlear unum aegrotus per unam vel duas horas hauriat. Sin vero tali dosi nausea non efficitur, Tartarus stibiatus, simulac prima solutio consumpta est, nonnullis granis augetur; in gravioribus casibus Tartar. stib. usque ad gr. X. in unc. V Aq. dest. exhibet. Sic tamdiu pergit, donec eventus subsequatur. Si tartaro stibiato nimiae alvi excretiones efficiuntur, circiter gutt. X tincturae thebaicae admiscet, quae quidem sufficere solent ad illas sistendas.

Fomenta frigida supra caput ibi utilitatem praebent, ubi signa cerebri irritationis valde eminent; quando vero periculum insultus apoplectici augeatur, superfusiones frigidae exhibeantur. Diaeta antiphlogistica sit et aegrotus solum aquosum et mucilaginosum potum hauriat.

Sin morbus ab initio asthenicum characterem induerat, vel in decursu morbi cum hoc commutaverat, sanguini aegroti potissimum parcatur, ne collapsus virium etiam magis augeatur. Hic iis remediis opus est, quae nimiam nervorum irritationem coërceant nec organismum debilitent, sed potius incitamentum spiritus, cui adsuefactus erat, compensent. Cui indicationi maxime respondet opium, quod semper porrigatur, simulatque asthenicus morbi character manifeste expressus est. Opium ab initio non tantis dosibus exhibeatur, quantis a nonnullis me-

dicis commendatum est (1). Initium faciat dosis opii grani dimidii, in secunda quaque hora sumenda, quae dosis, nisi aegrotus convalescit, ad gr. unum augeatur, in casibus gravissimis usque ad grana duo in secunda quaque hora. Ultra vero hanc dosin non transeat, sed potius tali modo imminuatur; si somnus nondum evenerit, vesperi solito dormiendi tempore major opii dosis una offeratur.

Etiam balneum calidum effectum opii multum adjuvat et ad placandum aegrotum plurimum valere potest.

Si vim in organismum exhibere opium incipit, pulsus, antea frequentes, parvi et tremuli, fiunt tardiores, pleniores et tranquilli, tremor articulorum comminuitur, sudor profusus lenitur, deliria desinunt atque aegrotus in somnum delabitur. Nunc omnino opium relinquendum vel certe dosis multo diminuenda est aegrotusque necessario somno permittendus.

Primus ejus somnus saepe brevis est, intermittens et anxiiis somniis interpellatus. Si aegrotus experrectus valde excitatus est, placetur sermone benigno, detur ei dosis opii satis parva, post quam saepe, satis longo somno peracto, sana mente expergiscitur.

Dein in hac delirii trementis specie a multis propositum est, ut hominibus aetate provectoribus atque decrepitis praeter opium per quoddam temporis spatium aliquid consueti incitamenti spirituosius offeratur, quod qui-

(1) S. Brown dabat drachmam unam — unc. β. Jackson refert, se opii puri gr. X, XV, vel adeo XX secunda quaque hora dedisse. Mirum solum, quod aegroti sempiternum somnum non dormiverunt.

dem eo efficacius sit, si respicias, quam saepe delirium tremens a non bibendo oriatur.

Non alienum hoc loco commemorare delirii tremens sanandi rationem a Stitzing propositam, quam splendidissimis eventibus ornatam esse affirmat. Aegrotis in cella non ita parva, hieme modice calefacta magnam agendi licentiam permittit. Bibendam praebet aquam et nisi diarrhoea adest, secunda quaque hora kali carb. gr. VI—VII et magnes. ust. gr. X in vehiculo mucilaginoso. Post singulas doses aegrotus ad aquam bibendam admovetur. Si duodecim ad viginti quattuor horis exactis aquosae alvi excretiones evenerunt, at conscientia non reversa et tremor nihil imminutus est, pergitur medicamentis et vesicatorium in regione cervicali ponitur. Si vero remittunt symptomata, tertia quaque hora medicamentum praebetur, vesicatorium vero non ponitur; quando deest diarrhoea, prima illa dosis quaque sesqui hora. Appetitus, qui post duos vel tres dies apparere solet, praecipue solidis et nutrientibus cibis expletur, ut pane, carne. Medicamenta, prout alvi excretiones fiunt, tertia vel quarta quaque hora, usque quoad deliria et tremor prorsus desinant, repetuntur. Quum diarrhoea ab initio adest, magnesia omittitur; si profusa exstat, kali carbonico loco magnes. conch. praeparat. adjiciuntur.

Ubi vero morbus, quamvis omnia remedia adhibita sint, nervosae febris characterem induit, si exitus in paralysin nervorum atque cerebri immineat, adhibeantur Analeptica, ut Camphora, Ammonium, flores Arnicae, rad. Valerian., Serpentar., Moschus; fortasse etiam medicamenta derivantia, vel ut vesicatoria et sinapismi utilitatem prae-

bebunt; sed raro tantum his medicamentis lethalis morbi exitus evitabitur.

Delirii trementis symptomatici sanandi ratio maximam partem ex morbo primario pendet, qui si delirio trementi praevalet, praecipue ad eum cura pertinere debet; sin vero localis tantum morbus est, ut fractura, proxime delirio trementi impugnetur. Numquam autem obliviscaris in aliqua complicatione delirii trementis propriam naturam, maxime magnam ad collapsum inclinationem, qua de causa abstineas venaesectionibus et omnibus remediis debilitantibus. In reconvalescentia maxime animum advertas ad relictam dyspepsiam, et aegroto interdum vitrum cerevisiae amarae praebeatur. Remediis pharmaceuticis non opus erit.

L I T E R A T U R A.

Th. Sutton, Treat. on delirium tremens. London 1813.

Aus dem Engl. von Ph. Heinecken: mit einer Vorrede von Albers. Bremen 1810.

Bernd, in Hufel. Journ. 1822. Nov. S. 86.

H. A. Goeden, v. d. Delir. trem. Berl. 1825.

G. Barkhausen, Beobachtungen über den Säufferwahnsinn etc. Bremen 1828.

Pauli, in Rusts Magazin. Bd, 17. H. 3.

Carter, in Cyclopaed. of pract. Med.

Späth, in Heidelberg. Annal. 1836 T. 2, H. 2.

Stintzing, in Pfaff's Mittheil. 1836 H. 7, 8.

A. Alacke, on delir. tremens. Lond. 1840 sec. edit.

J. B. F. Levillé, Hist. de la folie des ivrognes. Paris 1831. Mém. de l'Acad. Roy. de Med. T. 1.

Cless, in Schmidt's Jahrb. T. V., p. 134.

Schmidt, in Mittheilungen aus dem Gebiete der ges.
Heilk. v. e. med. chir. Gesellsch. in Hamburg.

O. C. Hoegh-Guldberg, Commentat. de delir. trem.
Hauniae 1836.

Helis, in Archives gén. de Méd. T. XV., p. 430.

S. Jackson, in Amer. Journ. of Med. Sciences, T. VII.
p. 361.

J. Johnson, reported in Lancet for Manch. XXIII. 1833.

V I T A.

Joannes Berendes, Saxo-Borussus, natus sum die IV. mensis Januarii anni XX hujus saeculi. Patrem Joannem praematura morte mihi abreptum lugeo. Matrem dilectissimam, e gente Zoberbier, adhuc vivam et salvam pio gratoque animo veneror neque unquam venerari desinam. Fidem confiteor evangelicam. Primis literarum elementis imbutus, gymnasium cathedrale Parthenopolitanum, quod Rectore Matthias, jam beato, florebat, per annos septem frequentavi, quo tempore peracto, gymnasium reliqui.

Autumnali anni MDCCCXXXIX tempore, absoluto examine solito, maturitatis testimonio munitus ab Ill. Twesten, t. t. Rectore magnifico, civibus universitatis literarum Berolinensis adscriptus, ab Ill. Hecker, gratiosi medicorum ordinis t. t. Decano maxime spectabili,

inter artis medicae studiosos receptus sum. Dein Heidelbergae et Halis scholis interfui medicis, anno vero MDCCCXLII autumnali tempore hanc almam musarum sedem iterum petii, ubi per annum studia medica persecutus sum.

Per quadriennium his interfui scholis: Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia art. med., Cel. Beneke de logice et psychologia, Ill. Mueller de anatomia, Ill. Dove de physice, Ill. Mitscherlich de chemia, Ill. Bischof de botanice, Ill. a Leonhard de mineralogia, Ill. Schlemm de situ viscerum et de syndesmologia, de arte cadavera secandi Ill. Mueller, Ill. Schlemm, Ill. d'Alton. Porro Ill. Mueller et Cel. Eck de physiologia, Ill. Mueller de anatomia comparata, Cel. Mitscherlich de materia medica, Ill. Krukenberg de pathologia et therapia speciali, Ill. Blasius de chirurgia generali et speciali, nec minus de akiurgia, de arte fascias chirurgicas applicandi, de ossibus fractis et luxatis. Praeterea adii scholas Ill. Kluge de arte obstetricia, Ill. Muller de anatomia pathologica, Ill. Hecker de historia medicinae.

Ad praxin medicam Ill. Krukenberg, Ill. Schoenlein, Cel. Truestedt, Cel. Romberg; ad chirurgicam et ophthalmiatricam Ill. Blasius, Ill. Juengken; ad artem obstetriciam factitandam Ill. Kluge me instituerunt.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias
ago semperque habebo, quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam me-
dico, nec non examine rigoroso coram gratioso medico-
rum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesi-
busque publice defensis, summi in medicina et chirurgia
honores rite mihi concedantur.

T H E S E S.

1. Delirium tremens in potatoribus a non bibendo oritur.
 2. Generationem aequivocam nego.
 3. Remedia specifica non exstant.
 4. In inflammatione nulla vis vitalis est adaucta.
-